

**Disputatio medica inauguralis de scarlatina ... / Eruditorum examini subjicit  
Patricius Miller.**

**Contributors**

Miller, Patrick, active 1804.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1804.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fdv98dyd>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

---

---

DISPUTATIO MEDICA

INAGURATIO

DE

SCARLATINA

---

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
SCARLATINA;  
QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,  
D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET  
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO  
GRADU DOCTORIS,  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
PATRICIUS MILLER,  
SCOTO-BRITANNUS;  
SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

---

---

*“Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi.”*

OVID.

---

---

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:  
EXGUEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

---

1804.



Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

VIRO REVERENDO

THOMÆ MILLER, S. T. D.

PATRI MONITORI AMICO,

QUI VITÆ DONUM

INNUMERIS ALIIS BENEFICIIS

CUMULAVIT,

ET A TENERIS USQUE ANNIS

VIAM SCIENTIÆ EI PATEFACIENDAM

CURAVIT ;

PIETATE

QUA FILIUM DECET :

NECNON,

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THOMAS MILLER, F.T.D.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO



NECNON,

VIRIS EGREGIIS,

ATQUE INTER SE AMICITIA CONJUNCTISSIMIS,

JACOBO GREGORY,

ANDREÆ DALZEL,

ET AVUNCULO SUO DILECTISSIMO

DUGALDO STEWART,

PROFESSORIBUS ILLUSTRISSIMIS,

QUI

INCLYTAM ACADEMIAM EDINBURGENAM

DIU ORNARUNT

ATQUE ADHUC ORNANT;

PRÆCEPTORIBUS SUIS

PATRONIS

AMICIS

SEMPER COLENDIS :

HOC QUAECUNQUE OPUSCULUM

GRATI ANIMI MONUMENTUM

D. D. D.

PATRICIUS MILLER.



1850

VILLI KRECHER

ATQUE INTER RE AMICITIA COMPOSITISSIMA

JACOBO GREGORY

ANDREAE DALZEL

ET AVARONIS SUO DILECTISSIMO

BOGALDO STEWART

SCOTTIAE

III

INSTITUTAM ACADEMIAM EDITIONIS

DEI ORNAMENTI

ATQUE ADHUC ORNAMENTI

PROGNOSTICI

PATRONIS

MICHAELI GREGORY & SOCIIS

AMICIS

EMILIAE COLLEGIUM

INSTITUTUM

INSTITUTUM

INSTITUTUM

GRATI TAMEN MONTANITUM

G. D. B.

PATRIGIO MILLER

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

---

PROOEMIUM.

**M**ORBI epidemici, a contagione pendent, attentionem medici jurè sibi vindicant; quippe qui ex causa tam latè diffusa oriuntur, ut universum populum brevi pervadant, stragesque magnas celeriter edant. Hi morbi, diversis annis, et ejusdem anni di-

A

versis

versis temporibus, formas admodum diversas induunt. Hoc à variis pendet causis; quarum nonnullæ satis conspicuæ sunt, aliæ autem magis obscuræ.

Ex iis epidemicis vix ullus est, variolâ ipsâ non exceptâ, in quo signa magis inter se differunt quàm in scarlatina. Unde fit ut morbus, de quo nunc agitur, varia adeptus fuerit nomina: et nonnulli medici peritissimi existimârunt symptomata quæ se ostendunt, morbos notare satis diversos ad discrimen *generis* instituendum. Quàm lubrico fundamento nititur hæc opinio postea ostendere conabor; nunc dicere sufficiet in omni ferè hujus morbi exemplo, quando epidemicè grassatur, quædam esse signa ei propria, quamvis specie diversa, tamen satis conspicua ad naturam ejus generalem notandum, omnesque ejus varietates ex eodem fonte originem duxisse, demonstrandum.

Hac



Hac de causa et aliis, quarum mentionem postea faciam, nullus dubito quin *Scarlatina Simplex*, *Scarlatina Anginosa*, et *Cynanche Maligna*, tantummodò varietates seu modificationes ejusdem morbi sint, quæ sub genere SCARLATINA comprehendi possunt.

Hic morbus notus est, ineunte seculo decimo septimo, ut ex scriptis LUDOVICI MERCATI\*, ÆTHI CLETI †, SENNERTI ‡, et aliorum medicorum, apparet. MERCATUS morbum describit sub forma graviore ut in Hispania sese obtulit. SENNERTUS morbum sub forma mitiore in Saxonia vidit, et in capite de Variolis et Morbillis, signa ejus descripsit; quamquam eum cum morbis jam dictis planè confundit. Eodem ferè tempore, in aliis regionibus australibus Europæ, præsertim in  
Italia,

---

\* MERCATI (LUDOVICI) Opera Omnia. *Consult.* 24.

† De Morbo Strangulatorio.

‡ SENNERTI Opera, cap. *de Variolis et Morbillis.*



Italia, et etiam in quibusdam Magni Maris insulis, apparuit; et in hisce partibus, per triginta annorum spatium, morbus crevit, mcestissimos sæpè edens effectus. Hujus morbi mentio deinde facta est a SCHULZIO\* ut in Polonia, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, sese obtulit. Scarlatinam quoque memorat SYDENHAMUS †; quæ ex ejus descriptione extitisse videtur sub forma mitissima. Haud ita multo post MORTONUS ‡ morbum descripsit; sed ex ejus historia dubitari non potest quin eum sub forma dirissima vidisset.

Exinde de Scarlatina silent scriptores usque ad annum millesimum septingentesimum quadragesimum nonum, cùm prima accurata ejus  
 historia,

---

\* Miscellan. Natur. Curios. *ann.* 6, 7. p. 206.

† SYDENHAMI Opera, sect. vi. cap. 2.

‡ Exercit. de Febribus Inflam. Universalibus, *Ex-cr.* 5.

historia, prout paulò antè Londini invaluit,  
tradita est a clarissimo FOTHERGILLIO \*.

Ex hoc tempore morbus in diversis hujus in-  
sulæ partibus apparuit, sæpè epidemicè gras-  
sans : et signa ejus a variis auctoribus † ac-  
curatè descripta sunt.

DE

---

\* FOTHERGILL on the Putrid Sore Throat.

† HUXHAM on the Malignant Ulcerous Sore Throat.  
WITHERING's Account of the Scarlet Fever and  
Sore Throat.

CLARK on the Scarlet Fever.

Memoirs of the London Medical Society, vol. i.  
iii, and v.



---

  
DE HISTORIA.

PRÆGRESSIS consuetis pyrexiaë signis, brevi accedunt dolor capitis, molestiaë et angustiaë in faucibus sensus, languor, vertigo, animi dejectio, et sollicitudo universalis. His nonnunquam superveniunt nausea, vomitus, et sæpè diarrhœa. Pallescit aliquando facies, sed sæpiùs rubescit. Rubescunt quoque oculi, et sæpè lacrymas effundunt. Respiratio brevis est, et interdum cum tussi leni interrupta. Vespere ingravescunt symptomata: magis inquieti fiunt ægri: sitis urget, et corporis calor plurimùm augetur,

Inspectis nunc faucibus, uvula, tonsillæ, velum pendulum palati, partesque vicinaë, quantum conspici potest, profundè rubent tument-  
que.

que. Nonnullis in exemplis tumor et rubor faucium minùs conspicui sunt, aut vix observari possunt ; dum in aliis eò usque intenduntur ut respirationi et deglutitioni plurimum obstant. Lingua quoque præter solitum rubet, mediâ ejus parte exceptâ, quæ plerumque alba vel fusca est, et reliquis suis partibus valdè dissimilis.

Secundo vel tertio die, aliquando autem seriùs, maculæ cinerei coloris, tonsillas, velum pendulum palati et uvulam tegentes, observantur ; et, his abrasis, ulcuscula ejusdem magnitudinis postea apparent. Eodem ferè tempore, interdum verò citiùs, nonnunquam vel ab ipso morbi impetu\*, facies, collum, pectus, manus, et postea plerumque totum corpus, tumore quodam, et efflorescentiâ vividi coccinei coloris, afficiuntur. Cutis nunc rubet sine ulla asperitate ; nunc attollitur in papulas

---

\* Aud. GREGOR. Prælect. de Medicin. Practic. in Acad. Edin.



las exiguas ruberrimas, quæ in maculas plus minusve latas, tandem coalescunt, et pectus artusque præcipuè occupant. Interdum quoque color in aliis locis saturior, in aliis dilutior; et in omni ferè exemplo, si pressura adhibeatur, rubor evanescit, sed citò redit.

Vespere corporis calor augetur, inquietudo ingravescit, et plerumque supervenit delirium. Pulsus vel ab ipso morbi initio celer est; hoc autem tempore celerrimus; sæpe centies et tricies, aliquando centies et sexagies, et etiam centies et septuagies, in sexagesima horæ parte micans. Nunc durus est et parvus, nunc mollis et plenus, rarò autem vel nunquam, adeo validus et plenus ac in plerisque phlegmasiis. Sitis plerumque urget, sed nonnunquam non adeo infestat ac in aliis morbis acutis. Urina plerumque naturalis est; aliquando autem parca et profundè rubra, cum aliqua reddendi difficultate. Si diarrhœa sub morbi initio occurrerit, aliquando in infantibus per aliquot dies perstat; in  
puberibus

puberibus autem, et ætate provectioribus, alvus plerumque tarda est. Tumores glandularum submaxillarium et aliarum in nonnullis occurrunt, et plerumque discutiuntur; aliquando autem maturescunt, et in pus abeunt.

Rebus ita se habentibus per paucos dies, remissio signorum citum et felicem morbi exitum indicat. Calor, qui plurimum auctus fuit, minuitur; efflorescentia minus rubra fit; et, quadam scabritie corporis apparente, cuticula, in squamas furfuri similes abiens, decidit. Anxietas febrilis, et alia febris signa evanescent; fauces detumescunt; escharæ decidunt; ulcuscula subjecta citò sanescunt; partibusque vicinis detumentibus, deglutitionis difficultas haud amplius urget. Pulsus ad statum sanitatis nunc descendit; ægerque, redeunte cibi desiderio, brevè vires recuperat.

Morbus, sub forma jam descripta, plurimis in exemplis, se ostendit; aliquandò tamen aspectum valdè diversum induit; et signa



quæ primò mitia fuerunt, multò graviora fiunt, atque periculum magnum probè declarant. Glandulæ submaxillares totumque collum eò usque tument, ut instans adsit periculum ex aucta spirandi difficultate, vel ex impedito sanguinis reditu a capite. Partes internæ quoque graviùs afficiuntur. Maculæ albidæ seu cinereæ, uvulam, tonsillas, partesque interpositas tegentes, colorem luteum vel subfuscum assumunt, aut etiam nigrescunt, et undique serpunt. Anima fœtidissimè olet; et mucus sordidus è naribus et faucibus distillat. Hæc sanies sæpe adeo acer est, ut cuticulam narium et labiorum irritet erodatque: parsque ejus, in ventriculum et intestina demissa, interiorem eorum tunicam quoque irritat et sæpe erodit. Hinc forsitan oriuntur nausea, vomitus, circa præcordia oppressio, frequentes dejectiones, dura tormina, cum signis gastritidis et enteritidis, quæ in nonnullis hujus morbi exemplis occurrunt. Aliquando etiam sanies, per totum canalem alimentarium  
delapsa,

delapsa, tantam acrimoniam adhuc retinet, ut partes juxta anum erodat.

Morbo sub hac graviore forma progrediente, aliquandò evenit ut sanguis è naribus, vel faucibus, vel aliis partibus erumpat, et subitò vitam tollat. Plerumque autem mors pede lentiore obrepit. Lingua admodùm sordida fit; et tota ejus superficies, apice et marginibus, qui plerumque mundi et humidi manent, exceptis, crustâ nigrâ obducitur. Ingravescunt omnia alia signa. Sitis magis urget; pulsus arteriarum magis magisque fiunt celeres, parvi, debiles, abnormes, interdùm vix sentiendi. Respiratio magis difficilis, et laboriosa fit; delirium crescit; oculi languidi fiunt, atque humore suffusi sunt. Fæces coloris subviridis vel subnigri dejiciuntur, et sæpè cum urina, inscio ægro, redduntur. His accedunt singultus et subsultus tendinum; partes extremæ frigescunt; sudor gelidus universus erumpit; ægerque his malis fatigatus  
brevis



brevi succumbens, vitam cum morte commutat.

Morbus, de quo nunc agitur, in variis exemplis adeò variat magnitudine, numero, et forma signorum, ut omnium varietatum mentionem facere, multò magis rationem reddere, res foret admodum difficilis; et certè haud necessaria; quoniam symptomata, ut plerumque sese ostendunt, et sub miti, et sub graviore morbi forma, enumeravi.

In quibusdam, fauces maximè afficiuntur, cum minimo vel nullo cutis rubore; dum in aliis, efflorescentia universa coccinea adest, faucibus vix, ac ne vix quidem, affectis.

Morbo finito, paucos intra dies plerumque subsequitur anasarca. Aliquandò omninò deest anasarca; et, ubi se ostendit, plerumque pro ratione efflorescentiæ, esse videtur.

Languor

Languor et debilitas, quæ sæpe minores sunt in hoc morbo quàm in aliis pyrexiiis, nonnunquam post alia signa manent; et sæpe doloribus, quales sunt rheumaticorum, comitantur. In hoc morbo quoque, præsertim sub forma mitiore, desiderium cibi nunquam ferè adeo minuitur, ac in aliis febribus.

Corpus in scarlatina quàm in ullo alio morbo plùs calet; in plurimis exemplis, calor tantus est quantum gradus centesimus quintus vel sextus *thermometri Fabrenheitiani* indicat; et, in quibusdam exemplis, ad gradum centesimum nonum, decimum, vel etiam duodecimum assurgit, ut ex CURREII observatione apparet\*.

Scarlatina exemplum præbet delirii omnis ferè generis; et haud facilè alius invenietur morbus,

---

\* Vid. Medical Reports on the Effects of Water in Fevers and Febrile Diseases. By J. CURRIE. Edit. 1804, vol. ii. p. 428.



morbus, in quo ægri tam citò desipiunt. In aliis febribus, mens rarò turbatur donec ægri jam in malis sunt ; in hoc morbo autem ægri, aliquandò vel ipso primo die, et sæpissimè die secundo vel tertio, delirant.

Magnus intestinorum torpor in perpaucis hujus morbi exemplis occurrit ; et hoc, fortassè, ad consortium, nondùm satis intellectum, quod iis intercedit cum cerebro affecto, referri debet.

Scarlatina omni anni tempore grassatur ; sed plerumque, abeunte autumno, vel ineunte hieme, primò se ostendit. Velocissimè diffunditur contagione, præsertim inter impubes : adultos quoque adoritur ; fœminæ ei magis sunt opportunæ quàm mares, et debiles infirmatique utriusque sexus quàm robusti. Sæpè observatur ægros, qui huic morbo subjecti sunt, eò graviùs periclitari quò breviùs in ætate provecti sunt ; contrà ac fit in variolis.

Quanquam

Quanquam rarissimè fit ut aliquis huic morbo plusquàm semel implicatur; sunt tamen exempla, in quibus eundem iterùm evaserit. Hæc autem perpauca.

---

## DE CAUSIS.

QUICQUID vires corporis frangit, ut victus parvus et tenuis, nimiae evacuationes, morbi prægressi, affectus animi deprimentes, aër impurus, et similia, homines huic morbo non secùs ac aliis opportunos reddit. Robusti, autem, et viribus fidentes, hujus morbi minimè immunes sunt, si modò contagionis actioni satìs objiciantur; quanquam debiles magis quàm robusti, fœminæ magis quàm viri, juniores magis quàm adulti, ei obnoxii sunt.

Causa



Causa excitans ex contagione propriâ sine dubio constat ; sed undè oriatur hæc contagio ; quæ sit ejus natura ; quantum ejus ad morbum in aliquo gignendum sit necesse ; vel quarè formam, nunc gravem et lethalem, nunc mitem et innocuam induat, prorsus ferè ignoramus.

---

### DE DIAGNOSI.

QUONIAM Scarlatina formam induit, nunc mitem, efflorescentiâ coloris coccinei cutem præcipuè afficiens, cum nullis ferè, vel tantùm levibus faucium ulceribus ; nunc gravissimam, cum magnâ faucium affectione, et minimo, vel forsàn nullo, cutis rubore ; certamen

men fuit inter medicos, utrùm hæ ejusdem morbi varietates sint, necne.

Nonnulli existimant, mitem morbi formam, non ab eodem fonte, unde gravis et maligna, oriri; sed utrique propriam inesse contagionem: dum alii contendunt, discrimen in ullo exemplo non majus esse, quàm id, quod in cæteris morbis exanthematicis occurrit; ideoque diversas formas, quas induit Scarlatina, tantummodo varietates ejusdem morbi esse habendas.

Apud quosdam argumentum est, et, in eorum opinione, ad discrimen *generis* demonstrandum sufficiens, quòd homo, quamvis morbum, sub forma *Cynanche Maligna* dicta, semel perpressus sit, reditui ejus obnoxius est, si contagionis actioni objiciatur; dum, è contrario, morbus *Scarlatina Anginosa* dictus, semel tantùm in decursu vitæ homines adoritur. Sed quanquam exempla Scarlatinæ, sub ulla forma, bis vel sæpiùs eundem hominem affi-

C

cientis,



cientis, perrara sint, tamen ex summa auctoritate \* nobis persuasum est, varietatem Scarlatinæ, *Scarlatinam Anginosam* dictam, bis in eodem accidere posse; ideoque, ad discrimen generis instituendum, nil confert hoc argumentum.

Sed de hoc certamine plura dicere minimè necesse est; quoniam experientiâ et observatione jam satis compertum fuerit, morbum, eodem grassante epidemico, et in eadem domo, ideoque ex eadem contagione, formas admodum diversas induere; a morbo mitissimo, tantùm cum cutis rubore, ac vix ullum postulante remedium; ad morbum virulentum, cum  
ulceribus

---

\* In prælectionibus suis de Medicin. Practic. memorat GREGORIUS se pauca vidisse exempla in quibus ægri bis hoc morbo fuerint impliciti; et ex eadem auctoritate accepimus, pauca alia exempla ejusdem generis MONRONI, in longa sua et amplissima experientia, se obtulisse. Idem quoque memorant HERDENUS et WITHERINGIUS.



ulceribus faucium gangrænosis, et tam gravem, ut omne vincat remedium.

His de causis, ut credam, adducor *Cynanchen Malignam* et *Scarlatinam Anginosam*, tantummodò modificationes ejusdem morbi esse; et minimè inter illas discrimen generis existere. Animum ad hanc rem intendere multò magis interest quàm plurimi putant; nam si diversas Scarlatinæ formas, ejusdem morbi tantum modificationes esse credamus, periculum morbi, et ipsius contagionis, in omni exemplo, satis cavebimus; quod aliter non fieret.

Signa Scarlatinæ propria, antea enumerata, ad discrimen inter hunc morbum et omnem alium instituendum, plerumque sufficet. Ne Scarlatina cum *Cynanche Tonsillari* confundatur, observari potest, hanc homines adultos, viros potiùs quàm fœminas, et robustos, eosque qui sanguine pleni sunt, plerumque adoriri; et, post primam morbi accessionem, homines ejus reditui magis fieri opportunos.

Fauces

Fauces quoque in Cynanche Tonsillari magis tument quàm in Scarlatina ; dolorque in illa multò magis urget, et aurem versus surgit. Plerumque quoque pulsus arteriarum in hisce morbis valdè sunt dissimiles : In Cynanche Tonsillari validi sunt et duri ; in Scarlatina, autem, plerumque debiles sunt et frequentes, et sæpe abnormes fiunt. Origo quoque et progressus duorum horum morborum magnoperè inter se differunt.

Quædam symptomata *Cynanchæ Tracheali* adèò sunt propria, ut hanc inter et Scarlatinam facilè dignoscatur.

Scarlatinam inter et *Rubeolam* distinguere possumus, sternutatione, tussi, humoris ex oculis stillicidio, et palpebrarum tumore ; omnia quæ Rubeolæ signa sunt propria, et quæ in Scarlatina sese non ostendunt.

Ab *Aphthis*, quæ infantes præ cæteris infestant, hòc modò distinguitur Scarlatina, quòd



quodd in illis, linguæ margines, gingivæ, et labia interna ; in hac, autem, tonsillæ, velum, et uvula, primùm afficiuntur.

---

### DE PROGNOSI.

PROGNOSIS à natura epidemici, ab ætate et constitutione ægroti, à progressu morbi, vel à signis eum comitantibus, multùm pendet.

Si pulsus admodùm frequens est et debilis, si calor plurimùm augetur, si cutis rubor brevè ab initio morbi apparet, et si vomitus et diarrhœa urgent ; malum est. Si fauces lividæ fiunt vel nigræ, et in gangrænam ruunt, cum magno animæ fœtore ; si partes externæ adeò tument, ut sanguini a capite regredienti

regredienti resistant, vel spirandi difficultatem augeant; si delirium et debilitas augeantur, cum singultu tendinumque subsultu; si fæces et urina, insciò ægrò, ejiciuntur;—omnia hæc signa maximum periculum indicant, mortemque in propinquo esse significant.

Contrà, autem, si, ab ipso morbi initio, febris minùs urget, et, eruptione factâ, remittit; si vires non multùm imminutæ sunt, et fauces tantùm modicè afficiuntur; faustum est. Si escharæ in faucibus raræ sunt, et facilè decidunt, ulcera benignæ faciei relinquentes, unà cum excretionem mucis libera; si lingua munda fit et madida; si etiam tumores extrinsecùs subsidunt, simulque delirium conquiescit; si sudor lenis generalis apparet, et sitis cutisque calor mitescunt, dum efflorescentia pallidior fit, et universæ cuticulæ desquamatio accidit; si, denique, pulsus arteriarum tardiores fiunt, firmiores et pleniores, et somnus cibi que desiderium redeunt; finis morbi admodum felix brevè expectandus est.

DE



## DE CURATIONE.

Cùm Scarlatina sub forma mitissima occurrit, ut à SYDENHAMO describitur, “ vix  
“ altior morbi *nomine* assurgit,” vixque ullum  
postulat remedium.

Cùm, è contrario, morbus alias induit formas, varia remedia, secundum signa quæ se ostendunt, sunt adhibenda.

*Sanguinis detractio* in Scarlatina rarissimè convenit. Exempla nimis sæpè occurrerunt in quibus, incisâ venâ, omnia signa statim graviora reddita sunt; nec desunt exempla, ubi, dum flueret sanguis, ægri subitò animam efflaverint.

efflaverint. Haud tamen negari potest, signa aliquandò in hoc morbo occurrere, quæ sanguinis detractionem indicant. In exemplis hujusmodi, si dolor capitis, vel tumor et inflammatio faucium maximè urgeant, hirudines partibus præcipuè affectis adhiberi possunt; quod multò efficacius est remedium, multòque minùs periculosum, quàm sanguinem è brachio mittere.

Quod ad *Purgantia* attinet; in morbo, ubi debilitas tanta est, et in quo sæpè jam existit ad diarrhœam propensio, usum hujusmodi remediorum commendare non licet. Quando diarrhœa adest, si à causâ irritante, in canali alimentario sitâ, originem ducere videtur, causa nociva, diluentibus vel laxantibus mitissimis, est amovenda. Sin alvus non sit soluta, fructibus maturis liberè sumptis, vel lotionibus ex inferiore parte injectis, laxa servari debet.

In



In Scarlatina magnoperè prosunt *Vomitoria*; et ex eorum usu sub initio, morbus sæpè tollitur, vel, saltem, signa multò mitiora, quàm aliter fuissent, redduntur. Ad ea recurrere haud semper necesse est; nam si vomitus suâ sponte supervenit, eorum usus supervacuus foret. Quando autem ingens nausea sine vomitu adest, semper adhiberi debent. Frequens eorum usus, per totum morbi decursum, à WITHERINGIO multùm laudatur. Alii autem medici, idem commodi ex vomitoriis hòc modò adhibitis, non observârunt; et, sine dubio, in plurimis exemplis, ubi morbus jam provectus fuerit, vomitum excitare, non modò non utile, sed planè periculosum foret.

*Vesicatoria*, in quibusdam hujus morbi exemplis, et præsertim ubi adeo urget tumor externus vel internus, ut cibi vel aëris aditum impediatur, vel alitèr periculum inferre minetur, certè non mediocriter valent; quanquàm, minimè sunt æquè efficacia in Scarlatina, ac in Cynanche Tonsillari.

D

Quando



Quando signa magnæ debilitatis, unâ cum proclivitate ad putredinem, vel se ostendunt, vel advenire minitantur, ad ægri vires sustentandum, et diathesin putridam corrigendum, *tonica et stimulantia* sunt utilissima; ideóque ad ea statim confugere oportet. In exemplis hujusmodi, *Cinchona* largis dosibus adhibenda est; et tam magnâ copiâ quàm ferre ventriculus potest. Sub forma pulveris efficacissimè datur; quoniam sub aliis formis, à viribus medicamenti plùs minùsve detrahitur. Ubi per os non adhiberi potest, sive à faucium tumore, sive ab ægro eam nauseante, quod sæpè fit in infantibus, tum aquam, in qua *cinchona* decocta est, in alvum, ex inferioribus partibus, infundere oportet. *Vinum* quoque, cum aqua commistum, liberè adhibendum est; et quando vel non comparari, vel non adhiberi potest, locò ejus recurrere oportet ad varia succedanea, qualia sunt varii potus, ex pomis vel ex aliis fructibus parati, cerevisiæ, et alii liquores fermentati.

Quoniam



Quoniam periculô et experientiâ comper-  
tum est, *cerevisiæ spumam* validè obstare, ne  
in putredinem vergant humores, nobis verisi-  
millimum esse videtur, hanc, in quibusdam  
Scarlatinæ exemplis, perutile fore remedium.  
Pauca tantummodò pericula, quantùm scimus  
de viribus floris cerevisiæ in hoc morbo, adhuc  
facta sunt; horum autem eventus admodùm  
felix fuit; adhibitoque hoc remedio, in his  
exemplis, ægri præter omnium spem conva-  
luerunt.

Ad faucium et gutturis affectionem levan-  
dum, *Gargarismata* haud mediocriter valent;  
ideóque semper adhiberi debent. In fauces  
infantum, qui gargarizare non possunt, per  
fistulam ea injicere licet.

Fuit olim apud medicos opinio, scarifica-  
tiones multum ad ægri salutem conferre; ideó-  
que tonsillas, uvulam, partesque vicinas, qui-  
bus ferrum admoveri potest, incidere mos erat.  
Experientia autem vires earum minimè con-  
firmat, easque sæpe remedia periculosa esse  
demonstrat.

demonstrat. Hac de causa adhiberi haud debent; et omnis alia faucium curatio, præter gargarismata, forsitan est repudianda, utpote harum partium irritationem et inflammationem auctura.

Magnoperè interest, ut summa colenda sit mundities: hęc consiliõ, vestimenta sæpiùs mutari debent; ab ægri cubili cujuscunque generis sordes quàm primùm movendæ sunt; et puri aëris admissioni maxima cura habenda est.

Anasarca quæ Scarlatinam sequitur, vel spontè abit, vel lenibus remediis, præsertim *Diaphoreticis* et *Diureticis*, plerumque facilè cedit. Eodem consilio balneum a nonnullis medicis adhibetur, et cute hoc modo laxatâ, exhalatio libera per eam promovetur, et anasarca brevè tollitur.



HÆC sunt remedia, quæ, in Scarlatinâ curandâ, utilissima inventa sunt, et quæ à medicis peritissimis plerumque adhibentur. Nova autem et valdè dissimilis hujus morbi curatio nuper proposita est; nempe usus *aquæ frigidæ corpori admotæ*.

Hoc remedium primùm adhibitum est in Scarlatina, paucos abhinc annos, à GERARDO\*. In nonnullis ejusdem morbi exemplis, eodem remedio postea usus est CURREIUS †; et utilitas curationis nuper confirmatur ex hujus medici peritissimi ‡, GREGORII ||, et aliorum experientia. Affusio frigida jam adhibita est à CURREIO in centum et quinquaginta exemplis; quibus in omnibus, morbus

vel

\* Vid. Medical Reports, vol. i. p. 63.

† Vid. Medical Reports, vol. ii. p. 435.

‡ Vid. Medical Reports, vol. ii. chap. xxii.

|| Vid. Medical Reports, vol. ii. p. 442.; et aud. GREGOR. Prælect. de Medicin. Practic. in Acad. Edin.

vel sublatus est, vel progressus ejus multò mitior redditus.

Usus aquæ frigidæ in Scarlatina, iisdem regulis generalibus, ac in *Typho*, dirigi debet. In utroque morbo, idem commodi, ex aqua frigida corpori affusa, sequitur: hâc autem differentiâ, quòd refrigeratio, inde orta, non per idem durat tempus in Scarlatina, ac in *Typho*: hinc necesse fit remediùm sæpe iterare. In nonnullis exemplis, affusio frigida deciès vel duodeciès, in viginti quatuor horis, adhibenda est. Post hoc tempus febris plerumque vincitur; et affusio tepida, ter quaterve, longioribus intervallis, adhibita, ad morbum omninò depellendum sufficiet.

Quò brevius, postquam incaluerit æger, corpori affundatur aqua frigida, eò utilior esse videtur: quanquàm experientiâ satis amplâ jam compertum est, hoc remediùm in omni morbi gradu, si adsint signa febrilia, et præsertim si cutis arida sit, et si urgeat corporis calor, tutò et cum commodo adhiberi posse.

In



In exemplis, ubi vel ex ægri ejusve parentum timore, vel ex aliis causis, remedio hoc efficacissimo, modo nunc dicto, uti non licet, aqua tepida, cum magno, quanquam minore, commodo, ægro affundi potest. Ad morbum, nisi sit levis, tollendum vix sufficiet; sed, calorem minuendo, et cutis halitum promovendo, eum mitiorem faciet.

Dum nonnulla sunt Scarlatinæ exempla adeò mitia, ut usum aquæ frigidæ non requirant; alia sunt dirissima, ubi nil commodi, sed contrà plurimum periculi, ex hoc remedio præpotenti orietur. Hæc sunt hujus morbi exempla, ubi magna adest debilitas; ubi calor vix, vel ne vix quidem, augetur; ubi cutis madet, et ubi magna est in putredinem proclivitas. Exemplis hujusmodi, quæ tantùm non lethalia sunt, optimè occurritur libero usu vini, cinchonæ, et fortassè floris cerevisiæ; curâ simul adhibitâ munditiæ, et puri aëris liberæ admissioni.

F I N I S.

